



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 4. Mendacium occidit animam mentientis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

git. Vtrum ergo magis infamat, alterum, an se ipsum tali patre oriundum?

## §. IV.

*Mendacium occidit animam mentientis.*

Quintò, si nec artificioso mendacio, nec simplici verbo oportet quemquam decipere, quomodolibet mentitur quis, occidit animam, si David Deum compellans ait: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*; quantò magis affliget calumniatorem? cui dixit: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium?* An non igitur æquissimum est, ut qui calumniam facit, calumniam vicissim patiatur, aut certè à justitia atque magistratu ipse sibi perniciem accersat? Idcirco talem Deus olim legem posuit: *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum pravaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum, & iudicum, qui fuerint in diebus illis. Cumq; diligentissimè perscrutantes, inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui: ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente.*

mann.

S Augu-  
stin lib.  
de cõflic.  
vit & virt.  
Et habe-  
tur 22. q.  
2. Nec ar-  
tific.

Psal. 5. 20.  
Deuter.  
5. 20.

Deuter.  
19. 16.

*manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Quā  
clare hic falso testi, seu calumniatori pœna  
talionis statuitur? Congruum enim est, vt  
quod quis supplicium falso testimonio alte-  
ri injustè irrogare voluit, id justè ipsemet  
patiatur.

§. V.

*Susanna calumniatores lapides, quos parauerant, passi.*

Clarissimi exempli historia est apud Da-  
nielem de Susanna pudicissima femina, quā  
duo libidinosi senes de adulterio commisso  
falsò accusarunt, cū enim eius corpore  
frui non possent, morte illius voluerunt se-  
se delectare. Instituta igitur calumniosa ac-  
cusatione, cū confictam à se de iuvene è  
manibus elapso fabulam recitassent, hanc  
coronidem addiderunt: *Huius rei testes su-* Dan. 13.  
*mus. Credidit eis multitudo, quasi senibus, & iu-* 42.  
*dicibus populi, & condemnauerunt eam ad*  
*mortem.* Iamque ducebatur innocens lapi-  
danda, neq; quemquam habebat, à quo de-  
fenderetur. Non illam nobilitas parentum;  
non honestissima educatio; non sanctissimū  
coniugium; non vitæ præteritæ optima fa-  
ma; non amantissimus maritus; non luctus  
& lachrymæ cognatorū, à calumnia libera-  
uerunt.